



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

B. Franciscvs Senensis. 30. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

SS. MARIANVS & IACOBVS MM.

30. Aprilis.

ANnus ducentessimus sexagesimus secundus par nobile Martyrum habuit: MARIANVS alter, alter IACOBVS fuit. Et illum quidem pollice suspensum pondera talis annexa tentissimis nervis ad ima retrahebant; sed ad carceres reducti, animus in cælum abiit, æterni convivij promulside recreandus, quam in pulcherrimum inducto triclinium, S. Cyprianus propinavit, haud gravatè pro unâ illius guttulâ omnem sanguinem daturò. IACOBVM intereâ proprio Martyrum baltheo Angelus cinxit. Ita hic robur suum induit, alter bibit. Nec multò post novus cælo nuntius mittitur de venustioribus ephebis, qui sermo vice torquis indutus, & palmam ventilans (nam & ipse nuper unâ cum matre & gemello trucidatus fuerat) MARIANVM & IACOBVM ad martyrum condicere convivium jubet. Nec illi tam lautas epulas aspernari, aut morari diutiùs ausi, posterâ die dederunt symbolum ambo capite plexi. Nihilominùs equites toto duffusi cælo malum minari carnificibus visi, qui tam candida innocentiæ lilia demessissent.

Ex Surio.

Dies noster ultimus, certissimum est, nobis quòd veniat; incertissimum est, quando, vel ubi, vel unde nobis adveniat: nisi quòd senibus est in januis, qui juvenibus est in insidijs. Guerr. ser. 3. de Advent.

B. FRANCISCVS SENENSIS. 30. Aprilis.

ETiam FRANCISCVM viderunt Senæ libertatem mundi repudiare, & servis VIRGINIS accedere. Quamquam non tunc primùm transit in

ser-

servitatem VIRGINIS ; natus in hanc est. Siqui-
dem mater FRANCISCO plena liliū sibi parere est
visa, ex quo alia atque alia pullularent, quibus
MATREM VIRGINEM coronaret: Videbatur dein-
de nescio quis, Pontificiā majestate insignis sce-
ptro uterū tangere, sponde r eque, liliū, quod ferret,
candori nihil obfuturas mundi spīnas. FRANCIS-
CVS denique lustrico forti admotus, plus quam
pueriliter exultare est visus, oculosque suos in jam
runcsum ocellum, MARIAE iconem defigere. Iam
pueritiam ingressus, quotidie quingentes AVE
DOMINAE suae dixit, orationi extra tempora Mu-
sis dicata tam deditus, ut non in domo paternā,
sed templis habitaret. Asellum (ita quam nos ad
instar catelli Melitenis habemus, carnem appelli-
tabat) saxo & flagris exercebat. Pro concione om-
nium animos incendebat, ut fidem habeam virgi-
nibus, quae volantem supra dicentis caput igneum
globum se vidisse affirmarunt. Adversus obrepta-
tores opem flagitanti PATRONA VIRGO auditum
abstulit, ut surdis auribus praeiret calumniantes.
Sub mortem ante dicentis vultum Angeli librum
explicarunt. Librum vitae credidero fuisse, & in illo
FRANCISCVM nomen suum legisse; tam hilari
post obit, & quidem die, quo Christo caelum pa-
tuit. Ex demortui ore liliū ajunt natum esse, scilicet
ut vobis, Sodales, pietatis in VIRGINEM se-
men esset. Ex Bzovio to. 13. Ann. Eccl.

*Imitare minutissimas aves, mane & vesperi
Creatori gratias referendo. Et si es devotior, imita-
re Lusciniam, cui quoniam ad dicendum laudes dies
sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilenā
decurrit. S. Max. serm. de Carn. host. non timend.*